

## CAP. VI.

## Mira varietas juris succedendi.

**D**Uæ sunt successiones, legitima & testamentaria. Quod ad legitimam attinet, nullam esse puto materiam in libris Justiniani quæ infelicitatem & exiguum hujus studii fructum clarius ostendat. Antiqua XII. tabularum lex jubebat, ut in hereditatem defuncti primo loco succederent liberi, sed ii solum, qui in patria potestate essent retenti: post hos succedebant agnati, hoc est cognati defuncto per virilem sexum conjuncti, (quippe qui nomen defuncti ferrent) eo fine ut familiæ conservarentur. Hoc pacto emancipati, nec ulli per fœminas descendentes (quippe qui nomen defuncti amisissent) ad hereditatem defuncti admittebantur. Ita exclusis liberis præferebantur agnati, nomen defuncti habentes, quantum vis sexto etiam gradu remoti. Hæc lex in emancipatis quamquam tempore satis longo observata, tamen juri naturæ adversari visa est, edixitque Prætor, ut emancipati ad successionem admitterentur una cum illis, qui essent in potestate. De descenden-

den-